



Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SACRAMENTO|| POENITENTIAE.|| QVATVOR LIBRIS COM-||REHENSA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XIX. Refelluntur sententiæ Hæreticorum, & Catholica confirmatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54092](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-54092)

In Caluini sententiam Theodorus Beza discipulus eius descendit, eamque tuetur & explicat, in libro quem inscripsit, Abstergio calumniarum Tileman Heshus, in responsione ad 4. calumniam.

CAPVT XIX.

Refelluntur sententiae Hæreticorum, & Catholica confirmatur.

NVNC breuiter, & per partes nouorum Hæreticorum dogmata refellemus, ac veterem & cōmūnem Ecclesiæ Catholicæ, quæ sola vera est, sententiam comprobabimus.

Sit igitur propositio PRIMA: *Terror animo incussus àlge, quem Lutherani Contritionem, siue Mortificationem appellant, non recte inter partes Pœnitentia numeratur.* Haec propositio conformis est Trid. Concil. sess. 6. c. 6. vbi numerantur quidem terrores incussi inter ea, quæ hominem ad iustificationem iuuant, & præparant; tamen non ponuntur Pœnitentia parts, sed ab ea potius distinguuntur, cùm inter eos, & Pœnitentiam, actus quidam spei & dilectionis intercedere dicantur. Aliud enim est, aliquid ad conuersionem & iustificationem requiri, aliud, partem siue actum esse Pœnitentia, si de Pœnitentia, vt Theologos decet, propriè loquamus. Igitur vt illos terrores ad conuersionem vt plurimum requiri non negamus, ita partem esse Pœnitentia minime concedimus.

Nam IN PRIMIS Scriptura distinguit terrorēm à Pœnitentia. Vbi enim legimus in epist. poster. ad Corinth. cap. 7. Quia secundum Deum est tristitia, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur, per tristitiam intelligi debet molestia quodam, & timor, ac pudor natus ex obiurgatione illa vehementi, & minis, quibus Apostolus apud Corinthios usus fuerat. Non enim vocat Apostolus eo loco tristitiam, dolorem de peccatis admissis, quæ est ipsa Contritio, siue Pœnitentia, sed molestiam illam, & verecundiam, quæ ex quo animo accepta & secundum Deum, Pœnitentiam saluberrimā gignit. Nam in eadē epist. cap. 2. Apostolus ait: *Ex multa tribulatione, &*

ANG

angustia cordis, scripti vobis, non ut contristemini, sed ut sciat-
tis, quam charitatem habeam abundantius in vos. Et cap. 7.
Gaudeo, inquit, non quia contristati estis, sed quia contristati
estis ad Pœnitentiam. At certè Apostolus non hæc diceret, si
per tristitiam, dolorē illum acciperet, quo quis angitur, quod
Deum offenderit. Non diceret, inquam, Scripti vobis, non ut
doleatis de peccato, cùm hoc ipsum vehemētissimè cuperet;
neque diceret: Non gaudeo quia contristati estis, cùm maxi-
mè gaudendum sit, quod peccatores peccâsse se doleant, &
gaudium sit in cœlo super uno peccatore Pœnitētiā agen-
te. Itaque, ut Chrysostomus, & alij exponunt, sententia Pauli
est: Non gaudeo de tristitia, gaudeo de fructu, qui est Pœni-
tentia. Et quemadmodum medicus non gaudet, quod amar-
to pharmaco, vel sectione, aut adustione ægrotum cruciet,
sed gaudet de sanitate, quæ ex pharmaco illo, vel sectione,
aut adustione consequitur: sic etiā Paulus non gaudet, quod
aspera obiurgatione & minis, terrorem & molestiam Corin-
thiis attulerit, sed quod ea molestia ac terrores Pœnitētiā,
eamq; stabilem & omnino salutarem pepererint. Vides igit-
ur ex doctrina Apostoli Pœnitentiam non esse terrorem ex
minis incussum, sed effectum, seu fructum quēdam eius ter-
roris, ut Concil. Trident. recte docet.

DE INDE, si quis inspiciat definitiones omnes Pœnitentia-
tis, quæ apud Theologos tum veteres, tum recentiores ex-
stant, & simul inueniuntur apud Magist. in 4. lib. sentent. di-
stinct. 14. & apud Gratianum de Pœnitentia, dist. 3. in nulla
earum terrores istos inuenier, quos Lutherani partem Pœni-
tentia faciunt.

PRAETEREA, cùm partes Pœnitentia quærimus, non
quosuis motus, qui quocunq; modo ad Pœnitentiam perti-
nent, quærimus, sed eos motus sive actus dūtaxat, qui ex ipsa
virtute Pœnitentia prodeunt. Porrò terri, cùm intentan-
tur minæ; non est ullius virtutis actus, sed naturalis affectio,
quam etiam in pueris, & in ipsis bestiis cernimus.

AD HÆC, sæpe terrores in iis inueniuntur, qui Pœnitentia
tiam nullam agunt, ac ne inchoant quidem, ut in dæmoni-
bus, qui credunt, & contremiscunt. Iacobi 2. sæpe etiam non-
nulli veram Pœnitentiam agunt, nullo pœnè terrore, sed so-
lo Dei & iustitiae amore impulsi, qualem credibile est fuisse

H h h h

beatam

beatam illam fœminam, de qua Dominus ait, Luc. 7. *Dimitiuntur ei peccata multa, quoniam dilexit mulierum.* Quod si terrores sine Pœnitentia, & Pœnitentia sine terroribus, aliquando esse potest, certè non debent terrores illi inter partes Pœnitentiae numerari.

DENIQUE fides, ut mox probabimus, non est pars Pœnitentiae, sed eam præcedit. At qui terrores incussi a lege, & sententia Aduersariorum, ipsa etiam fide priores sunt: non igitur terrores incussi a lege, partes Pœnitentiae recte dico possunt. Vide plura in secundo libro, cap. I.

SECUNDUM A propositio: *Fides non est pars Pœnitentia, sed ad eam efficiendam necessario requiratur.* Hæc etiâ propositio conformis est Tridentino Concilio, sess. 6. cap. 6. vi fides primo loco ponitur inter ea, quæ ad iustificationem dispensantur; & à Pœnitentia, quæ inter eas dispositiones quintum locum obtinet, aperie distinguitur.

Probatur autem PRIMO ex illis ipsis locis, vnde Adversarij sententiam suam probant: proferunt enim Melanchthon, Illyricus, Heshusius, Kemnitius, & alij passim, duologa, ut probent duas esse Pœnitentiae partes, Terrores, & fidem. PRIOR locus est Marc. I. *Pœnitentiam agite, & credite Euangelio.* ALTER Acto. 20. *Testificans Iudeis, aliisque Gentilibus in Deum Pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum IESVM CHRISTVM.* AT hæc loca maxima faciunt contra eos: siquidem distinguitur in utroque loco fides à Pœnitentia. Non enim Dominus apud Marcum ait: *Pœnitentiam agite credentes Euangelio;* sed: *Pœnitentiam agite, & credite Euangelio:* duo sunt igitur, ac diuersa, *Pœnitentiam agere, & credere Euangelio.* Sic etiam beatus Paulus non ait: *Testificans in Deum Pœnitentiam,* quæ ex fidem & terroribus constat, sed: *Testificans in Deum Pœnitentiam & fidem in Dominum nostrum IESVM CHRISTVM.*

DEINDE fides Pœnitentiæ præcedit, eamque gignit ut exemplum Niniuitarum, & ratio manifesta docet: *Crediderunt, inquit Scriptura Ion. 3. Niniuita in Deum, & predicauerunt se ipsum, & indui sunt fassis.* Et sane intelligi non potest, quod si serio aliquis Pœnitentiam agere incipiat, nisi prius credit vera esse, quæ Deus cum peccatoribus comminatur, tum pœnitentibus pollicetur. Quod si fides Pœnitentia

nitentiam præcedit, certa cauſa eius esse potest, pars autem nullo modo.

AD HAB E partes Pœnitentia, ut supræ diximus, illæ actiones censendæ sunt, quæ à virtute Pœnitentia manant. Atqui credere, nō Pœnitentia, quæ virtus est moralis, sed fidei virtutis Theologicæ actio est.

DENIQVE veteres Patres cùm Pœnitentiam definiunt, nusquam fidei meminerunt: quod certè non facerent, si ea potissima Pœnitentia pars esset, ut Lutherani volunt. GREGORIVS homil. 34. Pœnitentiam definit: *Praterita peccata plangere, & plangenda non admittere.* AMBROSIUS in prefatione enarrationis in Psalmum 37. *Plena, inquit, est definistio Pœnitentia, commemoratione delictorum, ut unusquisque peccata sua, velut quodam quotidiani sermonis castiget flagello, & commissa sibi flagitia condemnnet.* Quibus verbis docet, Pœnitentiam in eo consistere, ut quis peccata sua confiteatur, & confitendo castiget, ac damnet: quod sine detestatione, quam nos Contritionem vocamus, & sine Satisfactione, vel eius proposito, fieri non potest. Quomodo enim seriò peccata confiteatur, qui ea non detestatur? & quomodo ea castiget, & damnet, qui Satisfactione emende-
re non cupiat?

AT certè credere sibi remitti, vel remissa esse peccata; ad eam Confessionem minimè requiritur. Cur enim non possit aliquis cum dolore animi peccata sua fateri, & ea labiosis operibus castigare, & proinde ex Ambrosij sententia plenam agere Pœnitentiam, etiamsi nondum certò credat ea sibi esse remissa, aut etiam tunc remitti? Certè Niniuitæ crediderunt in Deum, teste Scriptura Ionæ 3. & tamen de remissione dubitabant, cùm dicerent: *Quis scit si conuer-
tur, & ignoscat Deus?* eos autem Pœnitentiam egisse gratam Deo, eadem Scriptura testatur. Itaque fides ista specialis, non modò non est Pœnitentia pars, sed neque ad eam vi-
lo modo requiritur.

Quod verò nos in secunda propositione diximus, sine fide Pœnitentiam haberi non posse; de fide vera, & Catholica intelleximus, non de isto Lutheranorum figmento, quod tamen ipsis fides iustificans, & pars præcipua Pœni-
tentia est.

TERTIA propositio: *Non sunt omnia bona opera, qui post iustificationem sicut, inter partes Pœnitentia numeranda. Hoc est aduersus molles Lutheranos, qui omnia opera bona intra Pœnitentiam includunt. Non volumus autem negare, quin propositum benè viuendi ad Pœnitentiam pertineat, neque etiam quin opera quædam bona, quæ ad eum finem tendunt, ut vel Pœnitentia interior ostendatur, vel pro peccatis satisfiat, in partibus Pœnitentia numerantur: sed id solùm afferimus, non omne bonum opus per reconciliationem cum Deo factum, partem esse Pœnitentia. Id quod vix ullam probationem exigit: multa sunt enim opera bona, quæ à iustificatione sicut, sineulla relatione ad peccata præterita; ex charitate in Deum, ex misericordia in proximos, ex iustitia in eos quibus aliquid debet, ex temperantia, fortitudine, ceterisque virtutibus, qualia operantur, etiam si nunquam peccassent, aut Pœnitentia guissent.*

QUARTA propositio: *Non recte ponuntur Pœnitentia partes, Mortificatio, & Viuificatione, ad eum sensum, quo à Calvino & Beza acceptuntur. Ratio propositionis huius certissima est. Nam Caluinus & Beza, vel confundunt omnino Pœnitentiam cum iustificatione, vel posteriorem iustificatione esse volunt: dicunt enim, Pœnitentiam esse fructus fidei iustificantis, & per Mortificationem & Viuificationem intelligunt refrenationem vitiosarum affectionum, & pionarium studium benè operandi, quæ in reconciliatione inchoantur ac deinde tota vita perficiuntur.*

AT Scripturæ diuinæ passim docent, Pœnitentiam viam esse ad iustificationem, & proinde priorem ipsa iustificatione. Hieremias 18. Si Pœnitentiam egerit gens illa à madagam & ego Pœnitentiam. Ezechielis 18. & 33. Sæpe repens Dominus: Si Pœnitentiam egerit impius, iniquitatum eius non recordabor. Lucæ 3. Nisi Pœnitentiam habueritis, omnis similiter peribitis. Lucæ 24. Oportebat prædicari Pœnitentiam, & remissionem peccatorum. Actorum 2. Pœnitentias agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine IESU CHRISTI in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Actor. 3. Pœnitentia, & conuertimini, Et dilecantur peccata vestra. Actor. 5. Hunc principem & Salvatorem

rem Deus exaltauit dextera sua, addandam Pœnitentiam Israëli, & remissionem peccatorum. Acto. 8. Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Acto. II. Ergo & Gentibus Pœnitentiam dedit Deus ad vitam.

Quod si pœnitentia via est ad remissionem peccatorum, & prior iustificatione, secundum Scripturas, multò maiori ratione Mortificationem illam & Viuificationem præcedet, quæ opinione Aduersariorum, fructus est fidei iustificantis, & iustificationem ipsam consequitur. Quare tam Lutherani, quam Caluinistæ, extrema sectantur: & sicut Lutherani errant, quia Pœnitentiam in his motibus constituunt, qui veram Pœnitentiam antecedunt; ita quoque errant Caluinistæ, qui Pœnitentiam in his actionibus ponunt, quæ veram Pœnitentiam consequuntur.

AD DE, quod Pœnitentia in Scripturis non dicitur, nisi à peccatis, sive, ab operibus mortuis, iuxta illud Hebr. 6. Nos rursus facientes fundamentum Pœnitentia ab operibus mortuis, ad perfectionem feramur. Nec Pœnitentia est omnium hominum, secundum Scripturas, sed peccatorum tantum: iustis enim Deus non posuit Pœnitentiam, ut legimus in oratione Manasse; & Dominus Luc. 15. dicit, iustos nō egere Pœnitentia. Non igitur rectè Caluinus Pœnitentiā vocat mortificationem illam afflictionum, & renouationem spiritale, quæ est omnium hominū, etiam iustorum: ista enim ad profectum, non ad Pœnitentiam pertinent.

QVINTA propositio: *Tres sunt partes Pœnitentia; Contrito, Confesso, & Satisfactio.* Hæc propositio, in qua conueniunt omnes Catholici, breuiter explicanda ac probanda est. PRIMO igitur OBSERVANDVM erit, hoc loco nomine Pœnitentiæ non significari habitum, seu virtutem Pœnitentiæ, quæ, vt suprà diximus, partes nō habet, cùm simplex qualitas sit; neque etiam actualem Pœnitentiam absolutè, cùm Confessio & Satisfactio Contritionis signa & effectus sint, & proinde ad eam non vt partes ad partem, sed vt effectus ad causam referantur: sed designari actualem Pœnitentiam, quatenus ea ex parte pœnitentis ad remissionem peccatorum in Sacramento reconciliationis necessaria est. Quia enim tres isti actus, qui ex virtute Pœnitentiæ

Hhhh 3 (licer

(licet non æquè immediate, & principaliter) oriuntur, ex parte pœnitentis necessarij sunt, idè tres partes Pœnitentiae numerantur.

S E C V N D O est **O B S E R V A N D U M**, tres istas Pœnitentiae partes non solum requiri in ordine ad Sacramentum, sed etiam extra Sacramentū suo quodam modo esse, ac fuisse necessarias in omnilege. Dixi autem, Suo modo, propter duas causas. **P R I M U M**, quia extra Sacramentum non requiritur confessio omnium peccatorum, quæ Sacerdoti fiat, neque Satisfactionio à Sacerdote iniuncta: sed satis est confessio quodam generalis facta Deo, & Satisfactionio per opera laboriosi sponte assumpta. **D E I N D E**, quia extra Sacramentum, si quia aut angustiis temporis, aut alia de causa legitime impeditur, quo minus confiteri aut satisfacere queat, sola contitutio interior ad salutem illi sufficiet.

T E R T I O **O B S E R V A N D U M** est, non esse huius loci, de singulis his tribus partibus accuratè differere, id enim liberum sequentem propriè pertinet: nunc verò muneri nostro satisfecisse videbimus, si ex diuinis literis, testimoniosis verum, & congruentia rationis ostendere potuerimus, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem saltem in genere, actus quosdam esse virtutis Pœnitentiae, ac per hoc partis ac veluti membra Pœnitentiae actualis.

P R I M U M igitur Contritionem ad Pœnitentiam pertinere, Scripturæ passim docet. Deut. 4. *Cum quasieris Domum, inuenies, si tamen quasieris in toto corde, & tota tribulatione anima tua.* Ioëlis 2. *Scindite corda vestra.* Psalm. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Confessionem quoque Pœnitentiae partem esse, perspicuum est ex infinitis locis. Num. 5. *Vir sine mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, confitebuntur peccatum suum,* &c. Psalm. 31. *Dixi, confitebor aduersum me iniuriam meam Domino.* Matth. 3. *Baptizabantur ab eo in Iordan, confitentes peccata sua.* Actor. 19. *Muli credentes venabant confitentes, & annunciantes altus suos.* 1. Ioan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, & remittat nobis peccata nostra.* Denique Satisfactionem per opera laboriosa, frequatissimè Scriptura commemorat. 2. Esdræ capit. 10. *Conuenerunt filii Israël in ieiunio, & in foccus, et humus super*

eos. Et confitebantur peccata sua. Daniel. 4. Peccata tua eleemosynu redime. Ioel. 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in te uno. Et fletu, Et planctu. Matth. 11. Olim in cinere, Et culico Pœnitentiam egissent.

PRAETEREA idem Scripturarum exemplis demonstrari potest. Illustrè est exemplum Dauidis 2. Regum 24 vbi cùm Dauid iussisset populum numerari, & in ea re ex quadam animi elatione peccasset, inquit Scriptura, describens Pœnitentiam eius: Porcusset autem cor Dauid eum, ecce Contritionem, Et dixit Dauid ad Dominum: Peccavi Valde in hoc facto, ecce Confessionem, sed precor Domine, Et transferas iniuriam serui tui, quia stulti ego nimis. Et paulò infra: Ego sum qui peccavi, Et ego iniquus egī; isti qui oves sunt, quid fecerunt? Veritatur, obsecro, manus tua contra me. Et paulò post obtulit sacrificium, & sic Dominus placatus est: in quo apparet Satisfactionio, per orationem, & subiectionem ad flagella Domini, & tandem per sacrificij oblationem.

ALIVD exemplum est Niniutarum, quorum Pœnitentia. Dominus in Euangelio laudavit Matth. 12. ita verò ea describitur lxx 3. Conuertatur vir à via sua mala, ecce Contritionem, Et clamet ad Dominum in fortitudine, ecce Confessionem, Et homines Et iumentano gustent quidquam, ne pascantur, Et aquam non bibant, Et operiantur saccis homines, Et iumenta, ecce Satisfactionem.

TERTIUM exemplum habemus in Euangelio Luce 18. vbi describitur Publicanus pœnitens, qui in signum Contritionis non audebat oculos ad cœlum leuare: & peccatum confitebatur, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori, ac denique pectus suum percutiebat, quod pertinet ad Satisfactionem. Huic simile est exemplum filij prodigi Lncx 15. qui PRIMUM ad se revertitur, ac statum detestatur suum. DEINDE confiteretur, dicens: Pater peccavi in cœlum, Et corram te. POSTREMO subiicit se pœnæ à patre inferendæ: Nam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut hunc ex mercenariis tuis.

Eadem veritas ex Patrum testimoniis copiosè probari posset, sed quia testimonia illa suis locis infra adserenda erunt, vbi de his tribus partibus seorsim differetur: nunc so-

Hhhh 4 lám

lum illa breuiter annotabo, in quibus omnium trium patrum simul mentio fit.

TERTULLIANVS in lib. de Pœnitentia, posteaquamdi
Contritione dixerat, oportere pœnitentem animum mortoribus deiicere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctes: & ibidem de Satisfactione; sacco & cineri incubare corpus sordibus obscurare, ieiuniis preces alere, &c. subiungit de Confessione: *Hæc omnia Exomologesis, & Pœnitentia commeudet, & de periculi timore Dominum honoret, & peccatorem ipsa pronuncians pro Dei indignatione fungatur.* Et paulò post: *Cum igitur prouoluit hominem, magis relevat cum squalidum facit, magis mundatum reddit; cum accusat excusat; cum condemnat, absolvit.* S. CYPRIANVS in sermo de lapsis: Denique, inquit, quanto ē fide maiore, ē timore meliore sunt, qui quamvis nullo sacrificij, aut libelli facinor constricti, quia tamen de hoc vel cogitauerūt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, ē simpliciter confitentur. Exomologesim conscientia faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet, ē modicis vulneribus exquirunt. Hæc ille: vbi vides primū fidem & timorem, nō inter partes, sed inter caussas Pœnitentia numerari: Deinde tres Pœnitentia partes distinctè, & perspicue ostendi, Cōtritione in verbo illo: Dolenter, Confessionem in illo: Confidentia Satisfactionem in illis, Salutarem medelam Vulneribus exquirunt. S. Ioannes CHRYSOSTOMVS in serm. de Pœnitentia, qui habetur in 5. tomo post homilias decem de Pœnitentia: In corde, inquit, eius, contritus est, in ore confessio, in opere tota humilitas, hac est perfecta, et fructifera Pœnitentia. S. AVGVSTINVVS tractat, in Psal. 146. illa verba exponunt: Qui sanat contritos corde. Sanat, inquit, contritos corde, sanat confitentes, sanat scipios punientes: vbi perspicue audis tripartes verae Pœnitentiae.

ACCORDAT postremò etiam ratio ex ipsa natura Pœnitentiae ducta. Pœnitentia enim de qua h̄ic agimus, non est quælibet peccati detestatio, ac punitio, sed detestatio ac punitio peccati, ut est offensio diuinæ Maiestatis, & ut ad peccatum tollendum, & amicitiam cum Deo resarcendam ordinatur. Hinc enim Act. 20. vocatur Pœnitentia in Deum: & Act. 26. coniungitur cum conuersione ad Deum: & pa-

sim in diuinis literis , ac præsertim Ezech.18. & 33. Pœnitentia finis dicitur iustificatio, & reconciliatio. Hoc autem intereat inter iustitiam vindicantem , & Pœnitentiam reconciliantem ; quod ad iustitiam vindicantem satis est , si reus pœnam luat à Iudice præscriptam , siue is libenter id faciat , siue inuitus , & siue is qui læsus est,id proberet, siue improberet: at mulcta in Pœnitentia reconciliante subeunda est pro m-
pro animo ab eo, qui læsit, & ad arbitrium eius qui læsus est. Quare necessariò hic exigitur PRIMVM , ut qui peccauit,
doleat se peccasse , & amicitiam violasse : quando enim re-
cuperare amicitiam cuperet, qui non doleret amissam? D-
INDE , ut subiiciat se pœna ad arbitrium Dei, qui læsus est.
Et,quia Deus per Ministros suos nobiscum agit: oportet, ut
qui peccauit, illi homini se sponte subiiciat , qui Dei locum
tenet. Id verò fieri nequit,nisi & culpas suas ei per Confes-
sionem aperiat , & mulctam suscipiat, quam ille præscripte-
tit. Sunt igitur tria illa necessaria: detestatio peccati cum
proposito virtutis melioris , quæ Contritio dicitur; Confessio,
& Satisfactione.

ADHAEC, tria ista, natura ipsa duce , quotidie adesse vide-
mus,cum aut liberi cum parentibus,aut servi cum dominis,
aut uxores cum viris in gratiam redeunt: nam & signa dolo-
ris ostendunt, & peccatum fatentur, & se castigationi subii-
ciunt,aut certè indulgentiam petunt: Ad iudices,inquit pro
Ligario M. TULLIVS, sic agi solet; Non fecit, non cogitauit,
falsi testes, fidum crimen: Ad parentem autem, Errauit, tem-
re fecit, panisset,ad clemetiam tuam configi, delicti veniam
peteo, Et ignoras oro. Docent autem sacræ literæ non uno in
loco, Deum erga homines, & patris, & Domini , & sponsi lo-
cum tenere: proinde non absimilem esse debere Pœniten-
tiam, & conuercionem hominum ad Deum, illi, quæ est filij
ad parentem, servi ad dominum, uxoris ad virum. Isaiae 63.
Tu pater noster, & Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit
nos: tu Domine pater noster, Redemptor noster, à seculo nomen
tuum. Psal. 122. Sicut oculi seruorum in manibus dominorum
suorum : sicut oculi ancilla in manibus domina sua, ita oculi
nostræ ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostra.
Hierem. 3. Tu fornicata es cum amatoribus multis, & amens re-
uertere ad me,dicit Dominus.

Hhhh 5

POSTREMO,

POSTREMO, neque illa congruenzia contemnenda videtur, quod quemadmodum tria sunt instrumenta peccandi, cor, lingua, manus; peccamus enim corde, verbo, & operante: ita par est, ut tria sint veluti instrumenta Pœnitentia; & aduersus peccatum cordis, Contritione, oris, Confessione, & operis, Satisfactione pugnemus, ut hac ratione iuxta Apostolum ad Roman. 6. sicut exhibutus membra nostra seruire immunditia & iniquitati ad insquitatem: nunc exhibeamus membra nostra seruire iustitiae in sanctificationem.

CAPUT XX.

Respondetur ad argumenta Aduersariorum.

RESTAT nunc ut iis obiectionibus respondemus, quas aduersarij contra doctrinam iam explicatam & confirmatam faciunt. PRIMVM igitur Ioannes Caluinus lib. 3. Instit. cap. 3. §. 8. probat duas esse Pœnitentiæ partes, ex illis Scripturæ locis: *Quæcuscumque agere peruersè, discere bene facere.* Isaï 1. item: Declinare à malo, & fac bonum. Psal. 34.

RESPONDEO, locus Isaïæ, Caluini sententiæ manifeste repugnat. Nam Isaías post illa verba, subiungit: *Si fuerimus peccata vestra Et coccinum, sicut lana alba erunt.* Proinde Pœnitentiam, quæ continet præteriorum peccatorum de-restitutionem, & propositum vitæ melioris, non post iustificationem constituit, ut Caluinus facit, sed ante: neque frumentum, sed caussam iustificationis esse docet. Qvod autem attinet ad alterum locum; quæ ibi numerantur, partes iustitiae, non pœnitentiæ sunt. Nam Pœnitentia ad peccatores tantum pertinet, iuxta illud: *Non vesti vocare iustos, sed peccatores ad Pœnitentiam.* Luc. 5. at declinare à malo, & facere bonum, iustorum est proprium. Itaque perpetam Caluinus confundit Pœnitentiam, cum iustitia: neque ulquam in Scripturis inueniet Pœnitentiam appellari, declinare à malo, & facere bonum: sed, in fletu & planctu, incinerare & cilicio, eleemosynis & iciunio, præterita male facta purgare.

SECUNDU